



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Otium vitandum feminis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

eff, & paucis obtingit. Mulier enim naturâ fragilis, est cupida, pigra, dicax, procax, fallax, maligna: adeò ut Ecclesiasticus c. 25. dicat: *Brevis omnis malitia super malitiam mulieris.* Celebre est illud Socratis dicentis, tria se mala affecutum, Grammaticam, Paupertatem, & perniciosam uxorem: duo priora se jam effugisse, tertium effugere non posse. Et illud Menandri: *Vxor est malum necessarium.* Et notanter dixit Salomon, qui *invenit*, ut indicet fortuitum quid esse uxorem bonam. Quæ certò consiliò nanciscimur, dicimur sumere, & accipere; quæ verò fortuitò obveniunt, *invenire*: præsertim quia mulieres omnes, antequam in uxores ducantur, ostendunt se bonas, generosas, & amabiles, teguntque suas iras, cupiditates, otia, & vitia, quæ tum primùm exerunt, postquam ductæ sunt. Hæc Cornelius à Lapide in memoratum Salomonis locum.

II. (b) Ulysses cum Penelope tres Charites domum duxit, dum uxorem probam, pudicam, industriam sibi copulavit. De huiusmodi conjugè prædictus Salomon Proverb. 5. *Cerva charissima, & gratissimus hinnulus*: id est, filius, ex matrona casta susceptus. Est enim amor cervi & cervæ singularis. 1. Velocitas in iis mira ad invicem opitulandum. 2. Carent illi felle, ut mutuam charitatem intelligas. 3. Cervæ sunt acri auditu, timidæ, & adversus hominum insidias circumspèctissimæ; quod maritatis notandum, ne plus æquò virtuti suæ fidant. Procos habuit Penelope, habent & ipsæ. Caveant suspectum consortium, ne contingat illis; quod Martialis de Lavina canit, lib. 1. Epigram.

Casta, nec antiquis cedens Lavina Sabinis,
Et quamvis tetrico tetricior ipsa viro;
Dum modò Lucrino, modò se permittit Averno;
Et dum Bajanis, sæpe fovetur aquis.
Incidit in flammæ, juvenemque secuta, relicto
Conjuge, Penelope venit; abît Helene.

III. (c) Conservationem pudicitie suæ debuit Penelope manuum labori, nendique ac texendi exercitio; neque enim Ægisthi solùm, sed etiam Clytemnestræ desidiâ fiunt adulteræ. De hoc argumento alibi. Hic sufficiat monere, colum & fuscum, acum & filum esse feminarum ornamenta, instrumenta, munimenta; unde laudem sexui, virtutem animo, præsidium comparent castitati. Otium, si mortalium ulli conditioni perniciem adfert, tum imprimis fugiendum est feminis, quas cum natura molliores effecerit, ignavia facile dissolvit, ac corrumpit. Non incongruè huc applices id, quod de S. Antonino Florentinorum præfule refer-

Ggg 2

tur,

(b) Vxor casta, (c) Otium vitandum feminis,

tur, eum vidisse Cœlites ædibus quibusdam insidere; in quas ingressus, cum duas virgines operi cum matre intentas reperisset, liberali manu paupertatem sublevavit. Verum cum illæ ditiores factæ luxui deinceps se dedissent, pulsisque è tecto bonis geniis, mali successissent, ut meliores iterum hospites in ædes immigrarent, emigrare otium iussit. Fassi Mariani. 2. Maii. Penelope si minus laboriosa, minus casta fuisset. Telam certè texuit, quot filis, tot laudibus æternitati commendatam; tantò absolutior omnibus Gratiis matrona, quantò minus absolvit, quod solvit, & sæpius retexuit, quod eleganter pertexuit.

IV. (d) Maritalis fidei illustre documentum producit Fulgus lib. 4. c. 3. Franciscus, inquit Sforzia Mediolanensis, Florentini populi copiarum dux, Casanovam oppidum vi ceperat. Quidam milites insigni forma puellam captivam ducebant, clamantem, ut ad primarium duce[m] deduceretur. Ad eum perducta, interrogante Francisco; quamobrem ad se venire cupisset, respondit, ut eius voluntati obsequeretur, modò incolumis à militum injuria servaretur. Franciscus amanti, uti videbatur, paruit: cumque noctu eam complecti vellet, puella lacrimarum plena, per Virginem DEI matrem, cuius imaginem lecto de more affixam Franciscus, singulari veneratione colebat; item per famam, quæ de ipsius bonitate apud omnes erat, rogavit, ne se castitatis honore privaret, sed marito intactam potiùs restitueret, qui, cum aliis captivis in vinculis custodiebatur. Dux pudicitia[e] eius inspectò studio, statim lecto prostravit: manèque accersito ad se viro, eam publicè restituit, adjurans, nihil cum ea sibi rei fuisse. Idem narrat de Engeltrude, nobili Ravennati puella, cuius pater cum Ottoni Imp. eam osculandam offerret, illa de genibus in pedes se erigens (nam in templo tum erant) & stans rubore perfusa dixit: Ne mi pater promittas cuiquam, quod non est in potestate tua. Equidem priùs quàm ab alio viro, nisi futuro marito, me contrectari permittam, hoc cultro (& simul eum eduxit) pectus meum perfodiam. Quod tam generosum dictum sic Imperatori probatum est, ut illi virum insignem Guidonem, unum è Palatinis cum ampla dote dederit. Quin gentiles etiam feminae in hac virtute excelluerunt. Plutarchus de Lacæna refert, eam de stupro appellatam, respondisse: Puella cum essem, patri didici dicto audiens esse; idque feci; postquam nupsi viro.

(d) Fides conjugalis.

SYM-